



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulum VII. An benigna sententia aduersetur S. Script. dictis SS. PP. &
SS. Canonum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

cat. Limitata verò probabilitas tantum abest à laxanda morum disciplina, ut Mercorus ipse p. 3.

a. 8. fateatur, Joannem à S. Th. ejus doctrinam unice sequimur, à sua sententia non dissentire.

ARTICULUS VII.

An benigna sententia advesetur S. Script., dictis SS. PP. & SS. Canonum?

SUMMARI A.

1. Textus S. Script. pro rigida sententia.
2. Textus soliti allegari pro benigna.
3. Utrique facile explicantur ab Adversariis.
4. Opponuntur exempla S. Script. contra opinionem probabilem, Adamus, Saul, Roboam, Judai.
5. Adamus inepte proponitur in exemplum minoris probabilitatis.
6. Neque Saul habuit sententiam probabilem.
7. Neque Roboam sequens inconsultum consilium juniorum.
8. Judai non arguuntur à Christo, quòd sequerentur probabilem opinionem Pharisaeorum.
9. Exempla Scripturae pro usu sententiae minus probabilis adducta.
10. Non habent magnam efficaciam.
11. Objecti textus è S. Bernardo & D. Chrysostomo.
12. Exponuntur.
13. Triplex locus ex S. Augustino contra benigniorem sententiam.
14. Ostenditur differentia sententiae probabilis ab Academica opinabilitate, de qua loquitur S. August.
15. Ostenditur mens S. Augustini pro benigna sententia.
16. Quid de SS. Canonibus sentiendum?

§. I.

Expenditur auctoritas S. Script.

1. AD probabilitatem extrinsecam & auctoritates convertimur. Ubi adversarii magnam benignae sententiae invidiam concire nituntur, dum illam novum Casuistarum dogma, neotericorum commentum &c. appellant, S. Scripturae & SS. PP. sensui difforme, cujus in antiquis & celeberrimis Ecclesiae Doctoribus nullum extet vestigium. Verum, quod ad S. Scripturam attinet, existimo, neque pro rigida, neque pro benigna sententia claram auctoritatem afferri posse. Pro rigida afferuntur inprimis quaedam S. Scripturae dogmata, velut Deut. 26. ubi DEUS praecipit, custodiri & impleri sua mandata ex toto corde, & ex tota anima, h. e. juxta Interpretes, impleri, quantum quis scit, & potest implere. Psal. 118. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis, h. e. omni possibili studio, & observantia. Matth. 7. Quam angusta porta & arcta via est, quae ducit ad vitam? sed sententia benigna illam facit latam & spatiosam. 1. Thess. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos &c. Ephes. 4. Ne simus parvuli fluctuantes omni vento doctrinae. Christus Joan. 14. Ego sum veritas, non, ego sum probabilitas, &c.
2. Reponuntur pro benigna sententia inprimis illud Christi. Matth. 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve, quod tamen vehementer ag-

gravatur per rigidam sententiam, quae imponit obligatio ubique tutiora & probabiliora sedendi, quod vix est possibile. Et Matth. 22. ubi arguuntur Pharisaei, quòd alligent subditis vana gravia & importabilia &c. quale onus est illarum obligatio. Act. 15. Visum est Spiritui S. & nobis, nil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria. Deut. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo h. e. ut explicat Geson. p. 2. de Reg. moral. sub tit. de Sup. Amalandum est in virtutis doctrina via regia, ut restrictum fiat DEI mandatum, nec latius, quam ipse mandaverat.

Respondent sententiae rigidae Patroni, has auctoritates ad se non pertinere, quòd sensus sit, jugum Christi fieri suave non libertate opinandi, sed condimento charitatis, quae omnia facit lenia amanti. Et quòd Pharisaei per suas traditiones imposuerint hominibus obligationes, repugnantes legi Divinae: sententia verò rigorosa flet pro lege Divina &c.

Sed respondent pariter sententiae benignae patroni, nec illos Script. textus contra se congestos ad se pertinere; quia illic non jubetur mandata dubia, & quae nescimus, implere ex toto corde, & custodire nimis, sed quae scimus, & in quantum scimus, ut ipsiner Adversarii interpretantur. Via quoque Evangelica non dicitur arcta propter obligationem vitandi quaedam pericula peccati materialis, sed propter certissimas & nobilissimas Evangelii sanctiones, quibus praecipitur inimicos diligere, benefacere his, qui oderunt nos, damnata oecula cordis concupiscentia, & morosa delectatio, prohibetur quavis in proximum iracundia, &c. quae vitatae pro peccatum naturae tam arcta & adversa apparent, ut teste Elparata art. 38. Averroës exclamavit, *Lex Christianorum, lex impossibilem, & Mandarinum Chineses illi audita dixerint, non esse legem pro hominibus, sed pro spiritibus.* Speciem quoque malam, & fluctuationem usus verae probabilitatis excludit dum conscientiae certitudinem ab omni formalis inhonestatis formidine immunem admittit. Etiam si quoque Christus non dixerit: ego sum probabilitas, non ideo sequitur: ergo non licet et probabiliter operari: aliam neque ex fide liceret operari, cum Christus non dixerit: Ego sum fides.

Exempla quoque è S. Script. pro rigida sententia proponuntur. Et primò Mercorus p. 2. a. 19. ex Gen. 2. opponit: Adamum, & Evam, qui poterant probabiliter credere, se non graviter peccaturos ob parvitatem materiae, vel quòd lex tantum esset poenalis, adeoque non obligans nisi ad culpam civilem, & tamen hac probabilitate non obstante peccarunt.

Secundò. Saul Rex Israëlitarum, ut habetur 1. Reg. 15. graviter peccavit, à DEO propterea objurgatus, reprobatus, regno & vitâ exutus, quòd contra DEI præceptum, quo dicebatur: *Vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus; Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum; nihilominus pepercit Agag, & optimis gregibus ovium, &c.* & tamen Saul pro se habebat opinionem probabilem, quòd liceret Regem Agag reservare pro magnificentia triumphi, & pecora DEO in sacrificium immolanda; quid enim intererat, an illa gladio de moliretur in bello, vel igne consumeret in altari? &c.

Tertiò reprehenditur Roboam 3. Reg. cap. 12. quòd relicto consilio Sapientum magis probabili secutus sit consilium Juvenum minus probabile, qui exponente Lytano dicuntur juvenes, tantùm comparativè ad consiliarios Salomonis, absolute verò erant viri adulti coætanei Regis, qui suscepto regno jam erat annorum 41.

Quartò [ut opponit Sinnich, n. 371.] Judæi sequentes falsas Scribarum & Phariseorum interpretationes de non subveniendo parentibus, non satisfaciendo creditoribus, fuissent excusabiles propter extrinsecam saltem probabilitatem, cum tamen Christus etiam illos peccati condemnaret, dicens de Phariseis: *Ceci sum, & duces cacorum &c.* Matth 15.

5. Sed quod ad primum attinet, mirum est, posse à Thomista primos parentes in probabilitatis exemplum adduci, cum D. Th. ex professo doceat in q. 18. de verit. a. 6. in statu innocentiae nullum ulli opinioni nedum falsæ & minus probabili locum fuisse. Ita inquit in c. ex quo patet, quòd non solum in eo nulla opinio falsa fuisset, sed penitus nulla opinio in eo fuisset, & quidquid cognovisset, secundùm certitudinem cognovisset. Et unde obsecro, probabile videri poterat primis parentibus, se non peccaturos, vel non morituros transgrediendo præceptum DEI? ab autoritate forsitan mendacissimi æque ac fallacissimi serpentis? Sed neque à ratione; cum nec serpens deceptor ullam attulerit, nec ipsi prævaricatores DEO objurganti in sui peccati excusationem ullam obtenderint, nec potuerit aliqua probabilis opinio locum habere, ubi primi parentes erant à DEO specialiter illuminati, ut certitudinem præcepti obligantis in conscientia, ejusque gravitatem, cum totius posteritatis salus exinde penderet, distinctissimè cognoscerent. Et ita sentit expressissimè D. Augustinus compluribus locis ab Elparza a. 2. citatis, præsertim l. 1. 4. de Civit. c. 11. *Ille autem (Adam) ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideo minus reus, sed sciens prudensq; peccavit.* Minimè igitur probabile sequuntur opinionem adversarii, dum primorum parentum peccato probabilitatem assignant.

6. Sed neque Saul [quod erat secundum] ullam habuit rationem verè probabilem, quâ persuaderetur, ut parceret Regi Amalec, & armentis ipsius, cum verba Divini præcepti fuerint meridianâ luce clariora, & si de ejus obligatione dubitasset,

ipsum interpretationem à Propheta Samuele quem, cum vellet, ad manum habebat, non ex vulgi affectu & opinione petere debuisset. Unde & ipse ingenuè fatetur, se ex timore populi contra præceptum DEI peccasse v. 24. *Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini & verba tua, timeans populum, & obediens voci eorum.*

Ad 3. exemplum Roboami Respondeo, illud 7. consilium juvenum non fuisse verè probabile ut satis clarè colligitur ex Scriptura: fuit quippe datum ab hominibus ad adulationem compositis, rerum inexpertis, & cum Rege in deliciis nutritis, nec sufficientem cautelam de damno evitando adhibentibus, nec ullo vel in speciem rationabili motivo sapientissimum consilium seniorum solventibus.

Ad 4. exemplum ex Terillo Respondeo, vel 8. plebem Judaicam vincibiliter vel invincibiliter fuisse seductam. Si vincibiliter: tunc argumentum adversariorum nihil probare, quia procedit de subjecto non supponente; non enim illis probabile erat, suos parentes, templi intuitu, potuisse privari filiorum subventionem. Si invincibiliter: tunc argumentum pugnare contra Adversarios; siquidem ex probabili fundamento potuissent in invincibilem ignorantiam legis naturalis induci, ex qua ut ante probavimus etiam à formali peccato fuissent excusati. Imò, inquis, non fuissent excusati, quia Christus dixit, *esse cæcos, & in foveam cadere.*

Respondet Terillus: Hæc verba non dici de plebe Judaica, ex eo præcisè, quòd sequerentur doctrinam Phariseorum, cum Christus ipse Matth. 23 dixerit, *Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisei: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite.* Sed [veluti ex textu patet] quia superstitiosis observationibus Phariseorum erant imbuti, qualis erat: non manducare, nisi lotis manibus [de quibus illo loco Christus loquitur] ideoque frequenter contra conscientiam peccabant, quoties tales ceremonias omittebant.

Pro benigna sententia Caramuel ex S. Script. producit primò exemplum Machabæorum, qui non obstante communi opinione, quòd conflictus die Sabbathi esset illicitus [ut est 1. Mach. 2.] & tertio Decalogi præcepto contrarius, probabili ratione ex præsentii necessitate ductâ judicârunt, litteræ rigorem ad talem casum se non extendere, quòd & olim à Davide factum, cum fame pressus panes propositionis, sibi tanquam laico alioquin vetitos à Sacerdote poposcit.

Addi potest secundò: quòd iidem Machabæi non obstante Divinâ prohibitionem Exod. 34. n. 12. *Cave, ne unquam cum habitatoribus terre illius jungas amicitias.* Et v. 15. *Ne in eas patulum cum hominibus illarum regionum.* Et increpatione Regis Josaphat, quòd cum impio Rege Ochozia foedus pepigisset 2. Paralip. 19. *Impie præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungentis?* Suadente probabili ratione ac temporum conditione cum Romanis & Spartiatis foedus inierat, ut constat ex 1. Mach. 8. & 12. qui super ejusmodi foedere nequaquam reprehenduntur.

Tertium exemplum ponit Terillus ex B. V. & S. Jo-

S. Iosepho, qui ad Christum servandum alendumque quam maximè obligati, illum Hierosolymis reliquerunt, & postquam fuissent progressi unius diei iter, *inter cognatos & nosos requirebant, non certà sed probabiliter ratione & quidem falsa à parte rei, sed prout tamen induci, existimantes eum esse in comitatu*: quà probabilitate excusabantur, quòd puerum JESUM citius non inquisiverint.

10. Nihilominus etiam ista exempla non videntur habere magnam efficaciam: quia prima duo loquuntur de casu necessitatis, in quo ex duobus malis minus est eligendum, & per epikiam aliquis interpretari potest, legis obligationem ad talem casum se non extendere. Nec desunt apud Sennichium n. 189. qui de isto cum Gentilibus fœdere Machabæos redarguant, & sinistros eventus, quos post illud fœdus S. Scriptura commemorat, non in aliam causam refundant, quàm quòd Machabæi fiduciam à Divina potentia, cuius præsentissimam opem toties experti fuerant, in humanam potentiam, cuius tunc laude Romani florebant, transfulerint. Probabilitas quoque, quam B. V. & S. Iosephus fuerunt secuti, quia erat solitaria, & non in concursu alterius æquè vel magis probabilis, vel magis tutæ, facile sufficiebat ad bonam fidem, & prudentem assensum, ideoque videtur parùm conducere ad præsentem quæstionem, ubi agitur de opinione probabilis in concursu tutoris, & æquè vel magis probabilis.

§. II.

Quid sentiendum de Autoritate SS. PP. & SS. Canonum?

11. Solent etiam rigide sententiæ Patroni quædam SS. PP. loca, tanquam nobis contraria adducere: & primò ex D. Bernardo in l. de præcepto & disp. c. 17. *Ut interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem.* Subsumunt: sed eligens opinionem minus probabilem & minus tutam, non habet in electione veritatem: ergo. Secundò ex D. Chrysof. hom. 44. in Matth. *An non oportet populum circumire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincere veritas Christi vendatur, & ubi corrupta, & veriorum eligere, plus quam vestimentum?*
12. Sed neutro testimonio quicquam probatur: non primo; nam vel Adversarii volunt à D. Bernardo intelligi certam veritatem etiam speculativam, vel tantùm practicam. Si speculativam, neque licebit sequi probabiliorum, cum nec ista sit sine periculo falsitatis, quod plerique ex ipsis negant, & satis rejectum est. Si practicam, nihil contra nos arguitur. Imò verò eodem loco c. 18. D. Bernard. agnoscit, malum, quod probabilis opinione bonum creditur, & pià intentione seu bonà fide exercetur, bonum esse. *Et quidem, inquit, laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam; nec planè condignà remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: attamen sine malo quocunque [erroris non imputabilis in culpam] non erit decepta simplicitas.* Unde cum postea tale opus peccatum nominat, de peccato materiali est intelligendus, ne ipsum in eodem capite sibi contradicere asseramus.

Altero D. Chrysof. autoritas, si tamen Chrysof. loquatur de veritate moralis honestatis nostris actionibus, non potest significare præceptum, sed purè consilium: aliàs contra adversarios probaret, quòd quilibet de populo teneretur diversas DD. opiniones investigare, Videtur verò magis loqui de Veritate fidei, & verà Christi doctrinà, quæ cum sit de necessitate mediæ ad salutem, certamque habeat regulam veritatis, ac evidentiam credibilitatis, obligat ut securiori veritatem, & eligatur.

Potissimum verò adducitur tertio in medium D. Augustinus, disputans contra Academicos, eorumque placitum, cum agit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat, ex eo potissimum impugnans, quòd ex hac doctrinà via aperitur ad omne flagitium; *Id enim aditus adlesens insidiabitur pudicitia uxoris alienæ, Col. 3. contr. Acad. c. 16.* Urget etiam Sennichius illud l. 6. de utilit. cred. c. 11. *Tria sunt veluti funtina sibi in animis hominum distantes dignissima, intelligere, credere, opinari, que si per se ipsa considerentur, primum sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio.* Ubi S. P. omnem opinionem vitiositatis damnare videtur. Tertio in l. 1. de bapt. contr. Donat. c. 3. loquens de Donatista volente ad Catholicam transire Ecclesiam, & dubitante, an licitè possit in parte Donati recipere baptismum, quem in Ecclesia Catholica licitè recipi posse non dubitat, ita respondet: *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum: Ergo, infert Wendrochius, qui in negotio suæ salutis statatur opinionem incertam, & minus tutam, reliquæ certà & tutiori, certò peccat.*

Verùm & ista sunt præter scopum, & sicut est, acerba probabilium ad Academicum similitudinem appellatio, ita profus incepta probabilitatis Academicæ ad probabilitatem Catholicam accommodatio: differentia pulcherrimè & subtilissimè descripta ab Elparza a. 72. & seq. in hoc consistit, quòd Academicum probabile est omne opinabile absque ulla distinctione, sive prudenter sive imprudenter, & temerariè tale: unde Academicum speciem cum genere, opinionem cum probabilitate confundebant, docentes, quòd quilibet posset agere, quòd hoc modo probabile [potius opinabile] videretur, dummodo in neutram partem assensum determinaret. *Id probabile, inquit D. Augustinus l. 2. contra Acad. c. 11. est verisimile Academicum vocant, quòd ad agendum sine assensione potest invitari.* Ex qua monstrata probabilitas & improbabilis confusione, enata est illa monstruosissima ad omnem morum pervertitatem aperiendam regula, non peccare quemquam, qui ageret, quòd ipsi hoc modo probabile videretur. At nostrum probabile temerariè & improbabili oppositum illud solum est, quòd et gravibus motivis prudentem meretur assensum, unde toto cælo differt ab illo Academico probabili, nec ulla D. Augustini argumenta contra Academicos nos oppugnant.

Opinio quoque, quam S. Augustinus dicit, nunquam esse sine vitio, non est assensus timorè

illis cum formidine oppositi, quot enim aliis doctrinæ Adversariorum [imò hæc ipsa, quæ nobis dissentiant] forent vitiosæ, quis absque peccato S. Eucharistiam accederet, cum non nisi de statu gratiæ probabiliter opinari possit? sed est prava animi dispositio, quæ quis scire se putat, quod nescit, & objecto fallibiliter apparenti ex temerario voluntatis affectu firmum præbet assensum. Ita se explicat ipse S. D. qui cum dicto libris genera hominum merito improbanda dixisset: *Primum, inquit, est opinantium, id est eorum, qui arbitrantur scire, quod nescimus.* Neque tertio loco D. Augustinus est nobis contrarius, qui ibidem loquitur de Donatista prædicte dubitante, & ex una parte habente certitudinem, ex altera verò non habente prædicam probabilitatem honestatis, ubi certa incertis præferenda aliter concedimus.

Multò clariora sunt in rem nostram SS. PP. testimonia & exempla. Nam prædictus D. Augustinus l. 1. de adulterin. conjug. c. 16. inter oppositas sententias, quarum una dicebat catechumenos subito paroxismo oppressos, quo baptismum petere, & ad interrogata respondere prohiberetur, esse baptizandos; altera, sensibus & signis destitutum non posse licite baptizari contendebat, ipse benigniorem amplectitur, nec tamen damnat oppositam, sed illam in sua probabilitate relinquit. Mox c. 18. eandem doctrinam ad illos, qui viventium conjugis copulati tenent adulterina consortia, extendit, rationem dans: *quis enim novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebrâ usque ad baptismum staterant detineri?* Tandem eodem cap. id ipsum affirmat absque distinctione de Sacramento Pœnitentiæ: *Que autem baptismatis, eodem reconciliationis est causa, si forte pœnitentiam finienda vitæ periculum præcaperit, neque ipsos ex hac vitâ sine artha sua pacis exire velle debet mater Ecclesiæ.* Ubi tamen loqui videatur de pœnitente, non tamen loquitur de illo, cujus pœnitentia per signa manifestatur, sed ex vita vel fide Christiana præsumitur; aliâ ipsius dicta non concordarent. Ecce hic in secundo saltem & tertio casu D. Augustinus

amplectitur opinionem plurimorum præsertim nobis adversantium iudicio minùs tutam, & minùs probabilem? & quamvis amplecteretur magis probabilem, quia tamen oppositam non condemnat, etiam illam putat esse tutam & probabilem.

De S. Cypriano supra mentionem fecimus, qui decrevit, ab hæreticis baptizatos, cum ad Ecclesiam redirent, esse rebaptizandos; quæ opinio [nuac damnata & erronea] propter bonam fidem & probabilem persuasionem sanctissimi Martyris excusatur, quantumvis esset minùs probabilis, utpote communiore Ecclesiæ consuetudini contraria. Zacharias Papa à D. Virgilio admonitus, quòd D. Bonifacius quosdam, ex imperitia baptizantis in nomine Patriæ, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatos rebaptizasset, factum reprehendit, sed de peccato nequaquam accusat, haud alia de causa, nisi quòd Pontifex D. Bonifacium bonâ fide in probabili ratione fundatâ crederet excusatum. Hinc mediâ viâ nec minis arctando, nec laxando conscientias incedendum est, & fugienda zeli exorbitantis indiscretio juxta D. Ambrosii monicum in Pl. 118. serm. 5. *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem DEI, sed non secundam conscientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere discipline, opus virtutis exigere, sed inscitia in eo est, quia non comparantur nature, non æstimant possibilitatem.*

Ad rescripta SS. Pontiff. & Canones, qui ex corpore juris opponuntur disp. 12. a. 4. §. 1. responsum est: qui benignæ sententiæ & nostræ favent, sup. art. 5. §. 3. n. 5. & 6. referuntur. Ad monitum Leonis Papæ in cap. sicut quedam, dist. 15. ut in iis, que vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. PP. inveniat adversum. Cum ergo ex hæcenus dictis & disputatis constet, doctrinam sententiæ probabilis à nobis explicatam, neque præceptis Evangelicis contrariam, nec SS. Patrum decretis esse adversam, licite illam sequemur in praxi.

ARTICULUS VIII.

An nostra sententia adversetur doctrinæ S. Th. ejusque

Interpretum?

SUMMARIUM.

1. Adversariorum opinio de antiquitate suæ sententiæ.
2. Textus, qui opponuntur ex S. D.
3. Ostenditur, expositionem rigorosam sententiæ esse contrariam menti D. Thomæ.
4. Eruiitur genuinus sensus & mens D. Th. in primo textu.
5. Exponuntur reliquæ autoritates.
6. Firmatur expositio auctoritate antiquorum Thomistarum.
7. Adducuntur plures DD. ex Schola D. Thomæ pro benignâ sententiâ.
8. Ex quibus colligitur, benigniorem sententiam esse verè Thomisticam.
9. Nullo modo novitium dogma, sed ratione, & auctoritate potiorum.
10. Nostra sententia ex principiis adversariorum secuta in praxi.
11. Est licita etiam in articulo mortis.
12. Regule reperiendi certam probabilitatem.
13. Sententia benigna etiam à Spiritu S.

§. I.

Proponitur auctoritas D. Th.

Potissimum oppugnationis robur collocant adversarii in D. Thomæ, Scholæque Thomisticæ auctoritate, cui benignam sententiam adversari, & hanc opinioforum Probabilistarum sententiam